AUGUSTINUS. PS. AUGUSTINUS. EVODIUS UZALIENSIS. HIERONYMUS. QUODVULTDEUS
Klosterneuburg, 3. Viertel 12. Jh. Seite 110v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1542
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



lieres. ne forte fornicari te faciant a deo tuo. Ille ergo cum esset sapientis-
simus & in gentibus apud deum meritis. tamen quia se tradidit multis mu-
lieribus deceptus est. Ego puto quod multe mulieres multa dogmata.
& multarum gentium diuerse phylosophye nominentur. Que cum singula
agnoscere & perscrutari utpote uir scientissimus & sapientissimus
semet ipsum intra legis diuine regulam tenere non potuit. sed decepit cum
moabitica phylosophya. & persuasit ut ydolo moabitico immolaret.
Similiter & ammanytarum sed & reliquarum gentium. quarum mulieres dicuntur
recepisse & edificasse templa uel immolasse ydolis eorum. Grande ergo est
& uere opus dei tam multis dogmatibus quasi mulieribus misceri.
nec tamen a ueritatis regula declinare. sed constanter dicere. Sexagin-
ta sunt regine & octoginta concubine & adolescentularum non est
numerus. Vna est tamen columba mea perfecta mea. una est matris sue
una est genitricis sue. Sed isti adorauerunt ydola. & consecratus est
beelphegor. Beelphegor est nomen ydoli. quod apud madyanitas precipue
a mulieribus colebatur. In huius ergo ydoli mysteriis consecratus est israel. In inter-
pretatione tamen nominis ipsius. cum requireremus attentius inter hebrea
nomina. hoc tantum inuenimus scriptum. quia beelphegor spes est tur-
pitudinis. Noluit tamen declarare que spes uel qualis sit. uel cuius esset
turpitudinis. honestati credo consulens. qui interpretatus est. uti ne au-
ditum pollueret audientium. Igitur cum multe sint turpitudinum spes. una
quedam ex pluribus turpitudinis spes beelphegor appellatur. Vnde sci-
endum est. quod omnis qui aliquid turpe committit. & in aliquam spem tur-
pitudinis declinat. beelphegor madyanitarum demonio consecratur.
Sed & per singula peccata que committimus. maxime. si iam non surrepti-
one aliqua sed studio affectuque peccamus. illi sine dubio demonio cui
illud peccatum quod admisimus operari cure est consecramur. & fortasse
continget nobis. tot demoniis esse consecratos. quot peccata committimus
& in singulis quibusque delictis uelut mysteria que dicunt illius aut
illius ydoli suscepimus. & fortasse propter hoc dicebat apostolus. Iam enim mys-
terium iniquitatis operatur. Circueunt ergo spiritus maligni. & querunt quomodo unum
quemque decipiant. & per illecebram peccati mysteriis suis consecrent
& neque sentientem neque intelligentem uerbi causa per fornicationes